



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXI. Officium diacono reddi potest, qui alium vulneravit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

ibi poterit, nisi crassa & supina fuerit ignorantia, discretus pontifex dispensare.

CAP. XIX. *Idem Turonensi archiepiscopo.*

Consuluit nos tua fraternitas, vtrum liceat tibi spurios & seruos ordinare. Super quo tibi taliter respondemus, quod neque spurios, neque seruos ordinare debes. Et si memor esses, in consecratione tibi dictum est: Vide ne quemlibet seruilis conditionis ad ordines promouere praesumas.

CAP. XX. *Idem Cenomanensi episcopo.*

Tua nos duxit fraternitas consulendos, quid agendum sit de clericis, qui in remotis regionibus ordinati, literas eorum proponunt, a quibus sibi sit manus imposta, cum incertum sit, vtrum eorum sint sigilla, quae praesentant. Tuae ergo consultationi, praesentium significatione indulgemus, <sup>f. rarius</sup> \* tutum esse, vt in his statuta patrum veterum obseruentur, quam nouum quid statuatur. Statutum est enim de transmarinis, vt ad minus testimonio quinque episcoporum super ordinatione sua muniantur. Quod in aliis, qui similiter sunt incogniti, credimus obseruandum, ita tamen, vt in suspensione <sup>\* annuo</sup> aliquo tempore habeantur, in quo videntes plenius de ipsorum actibus instituantur. Sed de inferioribus ordinibus oportuit inquiri, quia posset contingere, vt aliquibus praetermissis saltum fecissent. His autem peractis, si digni inuenti fuerint, circa eos poterit dispensari.

## CAP. XXI.

De diacono vestro, qui in sancto sabbato quemdam alium diaconum vulnerauit, & mulierem vxoris nomine accepit, hoc tuae prudentiae duximus respondendum: quod si contrito & humiliato corde & animo ad ecclesiam redire voluerit, dimissa illa, quam in vxorem accepit, cum non possit, sicut nosti, matrimonium contrahere, ipsum debes recipere, & a sententia excommunicationis, quam pro violenta manuum iniectioe noscitur incurrisse, <sup>f. absol- uere, &</sup> & iniuncta sibi poenitentia de vtroque excessu, post peractam poenitentiam poteris ei diaconatus officium redde-

Concil. Tom. 27.

Mmm ij

re, & etiam dispensatiue, si perfectæ vitæ & conuersationis fuerit in presbyterum ordinare. Subdiaconum autem, siue homines interfecit, siue non, non posse matrimonium contrahere, sacrorum Canonum censura demonstrat. Parochianos autem tuos, ad soluendas decimas ecclesiis, quibus debent, ecclesiastica debes seueritate compellere, quod cum decimæ non ab homine, sed ab ipso Deo sint institutæ, quasi debitum exigi possunt.

Exod. 22.  
Leuit. 27.  
Num. 18.  
Deut. 12.  
14. 16.

## CAP. XXII.

*Idem Lucius tertius Turonensi archiepiscopo.*

Ad aures nostras te significante peruenit, quod religiosi quidam zelum Dei habentes, ad superiores desiderant ordines promoueri, putantes maius præmium cumulandum, quo in maiori gradu positi, sublimius officium fuerint executi: sed prælati eorum desideriis contradicunt; ideoque tua duxit fraternitas requirendum, an in inferioribus ordinibus constituti, iuxta beneplacitum prælatorum suorum, quibus promotio displicet, a superioribus debeant abstinere, an valeant, prælati suis renitentibus, promoueri. Tuæ ergo quæstioni respondemus, quod honestius est & tutius, subiectos, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam in præpositorum scandalum, gradum appetere digniorem. Nec est in hac parte subiectorum desiderium confouendum: quoniam esse potest, ut prælati secreta eorum commissa nouerint, ex quibus constat eis, quod salua nequeunt conscientia sublimari: quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine meritorum caritatis, acquiritur regnum Dei.

## CAP. XXIII.

*Item Alexander tertius Bathoniensi episcopo.*

Subdiaconos\* autem nullis, nisi Romano pontifici, licet in diebus dominicis ordinare, quamuis Deo dicatas virgines consecrandi, & minores ordines licentiam habeant conferendi. Sabbato quidem pentecostes non licet alicui sacros ordines celebrare, cum in sequenti septimana, recepta sancti Spiritus gratia, celebrentur.